

stellarum in Cassiopea, & metamorphosis vilioris membra  
in nobilius, in mente concepta, delusus est. Quomodo alias  
in Chrysopæa arte, quam profitetur, eandem deceptionem  
sæpè illi usu venisse haud dubia fide accepimus: quando  
transmutationem plumbi in aurum, eiusdemque multiplicatio-  
nem, cum magna multorum pernicie professus est, & im-  
pudenter quibusdā persuasit se à summo Christianæ Rei-  
publicæ Principe stipendio conductum. Hinc prudentes æ-  
stimatores, non iam ex unguibus, ut dicitur, Leonem, sed  
ex tota pelle, & uniuersō corporis habitu integrum huius  
metamorpheutici naturam facillimè cognoscerent.

Postremò non defuerunt, qui huic stellæ motum quen-  
dam versus Boream, alii titubationis, utrumque illis ipsis  
ignotum, adscribebant: sed verius est omnibus illis mentem  
titubasse. Et quia motum illum non explicant, eo ipso per-  
suadent nullum esse. Hæ fuerunt opiniones de hac stella,  
quas non modò recitauimus, sed etiam pro mediocritate no-  
stra diluimus. Vnde palam esse potest hanc stellam non esse  
undecimam Cassiopeæ, neque ullam ex stellis fixis, aut pla-  
netis, neque elementarem esse, neque cometen rectè appellari posse. Restat ut in sequenti capite nostram de ea stella  
exponamus sententiam.

Quod hæc stella penitus noua & præter na-  
turæ ordinem in æthere posita sit.

Cap. 3.

F 2